



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117816**

§. 5. S. Leonis Epistola contra S. Hilarium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66052)

Sæculum V. discessisset. Itaque ordinatio, ab ipso  
 A.C. 445. facta, nulla pronuntiatur, & Projectus  
 c. 2. suæ Cathedræ redditur. Id etiam S. Hilario vitio vertebatur, quod sibi ipsi Auctoritatem assumeret, omnes Galliarum Ecclesias gubernandi; nempe illam Regionem, quæ olim Provinciam Narbonensem complectebatur. Rursus accedebant, quod per Provincias circumiret, armatorum manu stipatus, ut sic Episcopos Ecclesiis vacantibus daret, Concilia indiceret, & Jura Metropolitanorum laederet. Conjectura esse possit, Sancto viro visum fuisse necessarium, ut in Provincia a Barbaris occupata, & bello turbata, iter faciens se militum præsidio tutum præstaret.

## §. V.

*S. Leonis Epistola contra S. Hilarium.*

Concilium Romanum S. Hilario prohibuit, ne quidquam ultra faceret, quod alterius juri noceret, imo eundem Jurisdictione, qua in Provinciam Viennensem gaudebat, exiit; vetuit, ne quibuscunque ordinationibus adesset, a Communione Sanctæ Sedis exclusum declaravit, & Gratia loco habere jussit, quod in Ecclesia sua manere liceret, & non deponeretur. Hæc omnia cognoscimus ex S. Leonis ad Episcopos Provincie Viennensis

Viennensis epistola, in cujus exordio Pri-  
 matum S. Petri, & Ecclesiæ Romanæ Au-  
 ctoritatem commendat, tunc gravamina  
 refert contra S. Hilarium, quem Pacis  
 Ecclesiarum Perturbatorem, virum au-  
 dacem, & noxia moventem consilia, di-  
 cit. Sequentes deinde ordinationibus  
 faciendis tradit regulas; Metropolita-  
 nis reserventur. Pacate, & tranquille  
 fiant. Clericorum Subscriptio, Magi-  
 stratum testimonia, Senatus, populique  
 consensus adsint, & die Dominica cele-  
 brentur. Addit; quamlibet Provinciam  
 sua Synodo debere esse contentam, &  
 neminem leviter excommunicandum.  
 Episcopis Galliæ S. Leo edicit, non hoc  
 sibi esse propositum, ut in eorum Pro-  
 vinciiis Regimen sibi usurpet, sed ut sin-  
 gulis jura sua salva, & omnium concordia  
 conserventur. (\*) Tandem velle se di-  
 cit, si consentirent, ipsis Leontium Epis-  
 copum Primatem dare, virum meritis,  
 & ætate commendatum, salva Metro-  
 politarum Jurisdictione. Leontius iste Epis-  
 copus Forijulienensis fuisse creditur, & S.  
 Leo Disciplinam, quæ in Africa vige-  
 bat, in Galliam voluisse invehere, ut nempe

Sæculum V.  
 A.C. 445.

d. ep. 10.

c. 5.

c. 7.

c. 8.

c. 9.

vid. Not.  
 Quesn.

Bb 4 Prima

(\*) His S. Leonis Papæ verbis vera, &, ut  
 aliquis Insignis Theologus in suo Proœmio ad  
 Jus Canonicum loquitur, moderata Potestatis  
 Pontificiæ Idea exprimitur.

Sæculum V. Primatus non certæ Sedi, sed Episcoporum Seniori tribueretur. At consilium istud Gallis non arrisit.

A. C. 445.

*Int. Nou. Theod. tit. 16.*

S. Leo latam a se Sententiam Auctoritate Imperatoris Valentiniani, tunc Romæ agentis, fulcire voluit; obtinuitque Rescriptum, datum ad Patricium Aetium, in Galliis Bello Præfectum; in eo querelæ eadem, quæ prius, repetuntur; S. Hilarius vir turbulentus, & seditionosus audit, qui Majestatem Imperii, & Reverentiam Sacræ Sedi debitam, læsisset; itaque, subdit Imperator: *prohibemus, ne imposterum Hilarius, aut quicumque alius in causis Ecclesiasticis armatorum opera utatur, prohibemus etiam, ne Galliarum, aliarumve Provinciarum Episcopi quidquam, quod antiquæ Consuetudini adversetur, nisi Auctoritas Papæ accedens, moliantur. Quæ ipse decreverit, vim Legis habeant, & omnes Episcopi, si ad Episcopi Tribunal vocati, venire detrectaverint, ab illius Provinciæ Rectore obedire compellantur.* Istud Rescriptum octavo Idus Junii, Valentiniano sexto Consule, nempe sexta Junii, anno 445. datum.

Decima nona ejusdem Mensis, seu *Nov. Valent. Lib. 2. tit. 2.* decimo tertio Kalendas Julii, Imperator Valentinianus promulgari jussit aliud Edictum contra Manichæos, qui ante Menses circiter octodecim Romæ plenissime convicti fuerant. Id ad Albinum, Præto-

Pratorio Præfectum dirigitur, & præci-  
 pit, ut omnes pœnas, pristinis legibus in  
 ipsos statutas, subire cogantur, omnibus  
 licentia fit, eosdem persequendi, ubicun-  
 que deprehendi possent; denique man-  
 datur, ut omnes, qui hujus Sectæ homi-  
 nes, invenerint, ad Judices deferant. An-  
 no superiore Ravennæ erat Imperator,  
 cum Manichæorum infanda arcana dete-  
 gerentur; pronum autem est conjicere,  
 quod isto anno cum Romæ præsens esset,  
 Papa, opportuna usus occasione, hoc Edi-  
 ctum impetraverit.

Sæculum V.  
 A.C. 445.  
 Edictum Va-  
 lentiniani.

*Nov. eod. lib.*

Post biennium, cum Imperator Va-  
 lentinianus adhucdum Romæ versaretur,  
 Legem edidit, qua pœnæ renovabantur,  
 jam pridem in illos constitutæ, qui Se-  
 pulchra fodiebant, ut marmoreas tabu-  
 las, & his pretiosiora eriperent. Clerici  
 quoque hujus criminis insimulabantur,  
 quos Imperator majori quam cœteros  
 pœna dignos existimat. Jubet, ut ipso  
 facto Clericorum Nomine priventur,  
 proscribantur, & Exilio perpetuo mul-  
 tentur; ipsi Episcopi ab hujus pœnæ  
 rigore non sint exempti. (\*) Lex ista

*Nov. Valent.  
 tit. 5.*

Bb 5 ad

(\*) Anonymus I. Fleurio succenset, quod hanc  
 Legem, Clericis contumeliosam, referat. Sed  
 cur non referat vera, & ad Institutum suum perti-  
 nentia? Cœterum nullum exemplum Clerici, ob  
 hanc causam depositi, legimus, & dum dicit in  
 hac

Sæculum V.

A.C. 445.

ad Albinum, Præfectum Prætorio, & Petricium directa est, & tertio Idus Martii, Callypio Consulatum gerente, nempe 13. Martii, anno 447. data.

## §. VI.

*S. Hilarii Arelatensis virtutes.*

*Vita Hilari.*  
c. 17.

Sanctus Hilarius, postquam Arelaten rediit, omnem conatum adhibuit, ut S. Leonis animum mitigaret; hunc in finem plures scripsit epistolas. Primo Romam misit Ravennium Presbyterum, suum in Episcopatu Successorem, deinde etiam Nectarium, & Constantium Episcopos, quos Auxiliaris, Galliarum Præfectus, tunc Romæ præsens, exhibitis magnæ Reverentiæ signis excepit; sæpe cum ipsis de S. Hilarii virtutibus, præsertim de ejus constantia, & rerum humanarum contemptu colloqui amabat. S. Leoni etiam Papæ locutus est, ut ipsemet refert, ad S. Hilarium scribens, & subjungit: *ægre ferunt Homines, si ea loquamur fiducia, quam bona Conscientia*

*sugg-*

hac Lege Imperator Valentinianus; ipso facto Clericorum Nomine priventur, hæc verba facile explicari, & intelligi possunt non de Canonica Depositione, sed de tali, quæ solummodo in Foro Civili effectum haberet; Quod autem Episcopi a Regibus Christianis in Exilium mittantur, hoc ipso anno 1757. Exempla suppetunt.